

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

D. Sturmio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

ad T. C. confugere decreuit, & orat, ut sua studia li-
beralitate tua uiuatur. Habet C. T. quid petat. Nec
existimo pluribus uerbis in hac tanta pietate opus
esse: nec me decet garrulitas. Hoc tantum adscriben-
dum duxi, hoc ingenium uideri mihi in primis di-
gnum quod foueatur, non solum quia uirtutis stu-
dia tam uehementer amat, sed etiam quia tantos fe-
cit progressus, ut sit indignum, cum quasi noui ope-
ris nunciatione ab hoc instituto abduci. In oratione
eius Latina non solum mundities est, & elegantia
singularis, sed etiam quedam non inuisa copia. Et
mores sunt modestissimi. Hec autem fuerit eleemo-
syna uere regia, ad Christiana Ecclesie utilita-
tem talia ingenia fouere, atque alere. Sanctissimus
propheta Esaias, laudans hoc genus eleemosyna-
rum, inquit: Reginas futuras nutrices studiosorum
Euangelij. In quo munere te iam dudum per totum
orbem terrarum collocat, & recenjet ad posteros
uniuersa Ecclesia. Etenim cum ceteras uirtutes ue-
ra Ecclesia summo semper studio colit, tum prae-
cipue gratitudinem. Postremo peto, ut has me as-
teras C. T. boni consulat: ac me quoque inter studio-
sos bonarum artium commendatum habeat. Be-
ne & feliciter ualeat C. T. Anno Domini

1534. idibus Iunij.

D. Sturmio S. D.

Voraeus ipse testis erit, summam me contentio-
nem

J. Ar. 2. L. I, 100.

Rygel I, 223.

nem adhibuisse, ut mihi Princeps concederet abeundi potestatem. Verum impetrare non potui: et causas copiose D. Langæo perscripsi. Præcipua est, quod metuunt præiudicia: et me putant aliquanto minus uehementem aut pertinacem esse, quam sunt alij. Et proficèdò sic est. Non puto cõtendendum esse, nisi de magnis et necessarijs rebus. Non uolo tueri omnes *ἀνεπιστολογίας* et *ψυχολογίας*. Vtinam liceat doctis liberè loqui de magnis rebus. Nunc autem est democratia aut tyrannis indoctorum in utraq; parte, qui rixantur de nonnullis leuiculis rebus, et interdum suis affectibus seruiunt. Vidisti Sa doleti scriptum, qui cum in posteriore parte eadem dicat que nos defendimus, iniuste facit, quod adeò hostiliter in nos inuehitur. In priore parte enarrationis mihi pleraq; satis probantur: sed, ut uides, currit interdum *ἐν τῷ τῦς ὁδῶς*. Budæi etiam Transitiu uidi. Neq; me hæc terrent, quo minus istuc iter suscipiam. Imò incendunt potius, ut ipsis aperiam penitus animum: et uicissim audiam, quid in commune consulant ipsi. Ego quidem à doctis et bonis in Ecclesia nunquam dissentiam. Sed pro tua excellenti doctrina uides, uetera quedã errata opus habere emendatione. Nec dissimulo, euectos etiam esse nostros interdum *ὁ πᾶς τὰ ἑσθλα μίμνει*. Et multa mitigauit. Itaq; si quid opis possumus adferre Ecclesie, annitatur omnibus uiribus: atq; hoc studiũ nul

la mihi eripiet hominum iniquitas. Magno in periculo propter hanc moderationem uersor: ut solent in ciuilibus discordijs moderati ciues utrinq; malè accipi. Planeq; fatum mihi Theramenis impendere uiderur. Credo enim Xenophonti, hunc fuisse bonū uirū: Lysia nō credo, qui cum uituperat. Sed me uoluntate recte cōscientiæ sustento: & intuēs in uetera et honesta exempla, æquiore animo cōmunē fortunam fero. Cætera audies ex Voreo. Bene uale.

Inclyto & potentissimo Principi ac Domiuo D. Gostauo regi Suetiæ & Gotthorum, domino suo clementissimo,
Phil. Mel. S. D.

Inclyte & potentissime rex. Cum scian imperia & politias in terris munus esse Dei, æterni conditoris nostri: non sūcatis officijs, sed uera reuerētia Regium nomen & summos uite gradus ueneror: & sicut multi norunt, hortator sum iuuentuti, ut ad hanc uirtutem animos adsuefaciant. Nam ordo pulcherrimus & à Deo institutus accendere animos, et studium communis tranquillitatis nos mouere debet, ut suum cuiq; gradum in hac societate reuerenter tribuamus. Hanc uerò doctrinam, quæ de omnibus honestis officijs docet homines, tueri, maxime ad regium munus pertinere, R. M. V. optime intelligit. Ideo reuerenter oro, ut me, & similiter mei ordinis homines clementer audiat. Quod cum sperarem,